



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Sancti Gregorii Moralis Expositionis In Beatum Job Liber Sextvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)

S AN C T I G R E G O R I I
M O R A L I S E X P O S I T I O N I S
I N B E A T V M J O B
L I B E R S E X T V S .

Quid per nomen Job & vulnera ejus, qua à planta pedis usque ad verticem perulit: quid item per uxorem maledictionem suadere conantem, quidque per amicos consolatores accipiat, breuiter recapitulatur.

CAPUT PRIMUM.

SERVATA historiae veritate beati Job dicta, amicorumque illius mystica propositi interpretatione discutere: quia cunctis vera scientibus liquet, quod Redemptorem mundi totis suis allegationibus curat sancta Scriptura promittere, eumque per electos omnes, ut per ejus scilicet membra, studuit designare. Unde & idem beatus Job Latino eloquio Dolens dicitur: ut per ejus & nomen & vulnera, Redemptoris nostri passio designetur, de quo Propheta ait: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Cui tentator, ablatis omnibus, & seruos & liberos occidit: quia non solum Judaicum populum ex timore seruientem, sed ipsos quoque Apostolos in suo amore regeneratos, passionis ejus tempore telo perfidiae percussit. Vulneribus beati Job corpus atteritur, quia Redemptor noster configi clavis in crucis patibulo non dedignatur. A planta autem pedis usque ad verticem vulnera suscipit: quia sanctam Ecclesiam, quae corpus ejus est, non solum per extrema & ultima, sed usque ad summa membra persecutione saeviens tentator afflixit. Unde etiam Paulus dixit: *Compleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea.* Cui suadere uxor ad maledicendum nititur: quia carnales quique intra sanctam Ecclesiam adiutores callidi tentatoris existunt. Quae enim cum ad maledicendum provocat, vitam carnalium designat: qui, ut jam supra diximus, intra sanctam Ecclesiam incorrectis moribus positi, quod per fidem bonis juxta sunt, eò per vitam durius premunt. Quia enim quasi fideles vitari nequeunt, à fidelibus tantò deterius, quanto & interius tolerantur. Amici verò illius, qui quasi ad consolandum veniunt, sed ad verba aspera invectionis excedunt, haereticorum speciem tenent, qui cum contra bonos Deum defendere nituntur, offendunt. Haec itaque superius latius dicta, nunc breuiter studui ex mystica designatione succingere, ut lector meus ex ipsa hac replicatione meminerit, me in hoc opere spiritali intellectui deservire, & tamen cum utilitatis ipsius usus postulat, subtiliter quoque studeo historiae verba discutere: cum verò necesse est, simul utrumque complector, ut spirituales fructus allegoria germinet, quos tamen ex radice historiae veritas producit. Amicos verò beati Job, quos haereticorum speciem tenere diximus, in dictis suis nequaquam per omnia reprobamus: quia dum per supernam sententiam contra eos dicitur: *Non estis locuti coram me rectum;* & protinus subditur: *Sicut servus meus Job:* profectò liquet, quia non omnino despiciuntur, quod ex melioris comparatione reprobatur. In reprehensione quippe ejus incautè dilabuntur, sed tamen quia

S. Greg. Tom. I.

tanti viri amici sunt, ex familiaritate illius mystica multa didicerunt. Unde sicut & superius diximus, eorum verbis etiam Paulus utitur, & haec in assertionis suae adiutorium assumens, prolata ex veritate restatur. Quae tamen veritas rectè reprehendit: quia quamlibet fortis sententia contra sanctum virum proferri non debuit. Possunt ergo mysticè Eliphaz verba pensari, quibus ad beatum Job loquitur, dicens:

Quod stultus fuerit Iudaeorum populus, qui presentem Dominum in carne spreuit: & filij ejus sint, qui illius perfidiam imitantur.

CAPUT II.

EGO vidi stultum firmam radice, & maledixi pulcritudini ejus statim.] Stultus quippe Iudaeorum populus extitit, quia ipsam in carne presentiam aeternae sapientiae spreuit. Qui quasi firma radice convaluit: quia electorum vitam temporaliter extingendo superavit. Sed hunc Eliphaz maledicendo despicit: quia nimirum omnes haeretici, quorum tenere speciem amicos beati Job diximus, cum de nomine Christi gloriantur, Iudaeorum perfidiam ex auctoritate reprehendunt. De quo stulto protinus subditur: [*Longè fient filij ejus à salute.*] Filij hujus stulti sunt omnes, qui perfidia illius praedicatione generantur. Qui scilicet à salute longè sunt, quia aeternam vitam sine afflictione percipiunt, aeterna gravius ultione ferientur, sicut de eisdem filiis illius Dominus dicit: *Va vobis Scribae & Pharisei hypocritae, qui circumcis mare & aridam, ut faciatis unum profelytum, & cum fuerit factus, facitis eum solum gehenna duplo quam vos.* Sequitur: [*Et conterentur in porta, & non erit qui eripiat.*] Quis alius portae nomine, nisi mediator Dei & hominum debet intelligi, qui ait: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur.* Filij igitur hujus stulti extra portam proficiunt, & in porta conteruntur: quia pravae Iudaeorum moles ante mediatoris adventum in legis observatione floruerunt: sed in ipsa Redemptoris nostri presentia à divinitatis obsequio, perfidiae suae meritis repulsi ceciderunt. Quos nimirum non est qui eripiat: quia scilicet dum ipsam Redemptorem extinguere persequendo conati sunt, oblata sibi ereptionis remedia absciderunt: de quo bene subditur: [*Cujus messem famelicus comedit, & ipsum rapiet armatus.*] Hujus enim stulti messis fuerat sacri leges eloquij. Quaedam namque spicarum grana, sunt verba prophetarum, quae stultus habuit, sed non comedit: quia Judaicus populus legem quidem verbo tenuit, sed per fatuitatis fastidium ab ejus intellectu jejunavit. Hujus verò stulti messem famelicus comedit, quia nimirum Gentilis populus verba legis intelligendo edidit, ad quae plebs Judaica sine intellectu laboravit. Hos famelicos fidei Dominus praevit, cum per Evangelistam dixit: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturati*

L ij

buntur. De his famelicis Anna prophetante dicitur: *Repleti prius, pro panibus se locaverunt, & famelici saturati sunt.* Sed quia messem perdidit, rectè subjungitur, qualiter etiam ipse stultus perit, cum dicitur: *[Et ipsum rapiet armatus.]* Antiquus hostis Judaicum populum armatus rapuit, quia in eo vitam fidei fraudulentæ suggestionis jacularis extinxit, ut unde se inhære Deo crederet, inde ejus ordinationi repugnaret. Quod profectò discipulos suos Veritas præmonet, dicens: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Sequitur:

Quid sit quòd aliquis velox ingenio, quæ intelligit, contemnit, & alius tardus & hebes vix tandem multo labore assequitur, quod cum intellexerit, operatur.

CAPUT III.

E*T bibent sitientes divitias ejus.* Hujus stulti divitias sitientes bibunt, quia fluentis sacræ locutionis, quæ Judaicus populus in superbia ostentatione possederat, conversæ Gentilium mentes irrigantur. Unde & eisdem per Prophetam dicitur: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate.* Quia enim argenti vocabulo eloquia divina signantur, Psalmista testatur, dicens: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum.* Qui ergo argentum non habent, ad aquas vocantur: quia nimirum Gentilitas, quæ Scripturæ sacræ præcepta non acceperat, sacri eloquij inundatione sariatur, quam tantò nunc avidius potat, quantò hanc diu sicca stiebat. Eadem ergo divina eloquia & messes & divitiæ vocantur: messes, quia jejunam mentem reficiunt; divitiæ verò, quia magna nos morum venustate componunt. Eadem & comedi dicuntur & bibi, quia nimirum dum quædam in eis obscura sunt, quæ non nisi interpretata intelligimus, hæc quasi mandendo glutimus: dum quædam verò ad intelligendum facilia ita sumimus ut invenimus, ea quasi non mansa bibimus, quia non fracta forbemus. Hæc sub intellectu mystico brevi locutione transcurrimus, ne quid forsitan præterisse videamur. Sed quia beati Job amici esse non possent, nisi in quibusdam quoque magna morum honestate fulgerent, restat ut in eorum verbis virtutem sensuum moraliter inquiramus, quatenus dum locutionis eorum pondus discutitur, cujus doctrinæ fuerint, ostendatur.

Quid sit maledicere pulcritudini stulti.

CAPUT IV.

E*Go vidi stultum firma radice, & maledixi pulcritudini ejus statim.* Quasi firma radice stultus in terra figitur, qui totis desideriis in terreno amore solidatur. Unde & primus Cain civitatem in terra construxisse dicitur: ut aperte monstraretur, quia ipse in terra fundamentum posuit, qui à soliditate cælestis patriæ alienus fuit. Quasi firma radice stultus attollitur, quando hic temporali prosperitate fulcitur; ut omne quod appetit, assequatur, adversa nulla sustineat, contra infirmos sine repugnatione prævaleat, bene agentibus ex auctoritate contradicat, ad majora commoda ex pejori semper actione perveniat, & unde viam vitæ deserit, inde ad tempus felicior vivat. Sed cum malos florere infirmi conspiciunt, trepidant: & apud semetipsos peccantium prosperitate turbati, intus in gressibus mentis nutant. Quorum profectò speciem sumpsit Psalmista cum diceret: *Mai autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei: quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns.* Cum verò eorum gloriam fortes aspiciunt, protinus quæ post gloriam

A pœna sequatur, attendunt: & alta intus cogitatione despiciunt hoc, quòd foris superbi fastu vacuæ inflationis intumescunt. Bene ergo dicitur: *[Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulcritudini ejus statim.]* Pulcritudini quippe stulti maledicere, est ejus gloriam ex considerata damnatione judicare: quia ed atrocius in tormentis obruitur, quò altius in peccatis elevatur: quia transiit quod extollitur, permanet quod punitur. Qui honoratur in via, in perversione damnabitur. Et quasi per amœna prata in carcerem pervenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit. Notandum verò, quòd cum stulti pulcritudini maledixisse se diceret, protinus addidit, *Statim.* Mos namque humanæ & infirmæ mentis est, ut cum earum rerum quas respicit, qualitate varietur, sæpe ejus judicium cum ipsa præsentis rei specie ducatur, & juxta hoc quod aspicit, intentio illius sensusque formetur. Nam plerumque nonnulli, dum quorundam gloriam cernunt, ejusdem gloriæ aspectibus delectantur, ac magnum aliquid æstimant, seque ut talia mereantur, exoptant. Cum verò gloriosos quosque, aut dejectos subito, aut fortasse etiam morientes aspiciunt, quia humana gloria omnimodò nihil sit, cum gemitu fatentur, ita ut protinus dicant: *Ecce, quàm nihil est homo.* Qui hoc nimirum rectius dicerent, si cum in gloria hominem cernerent, tunc ejus interitum cogitantes, transeuntem potentiam nihil esse sentirent. Tunc quippe est humana elatio pensanda quàm nihil sit, cum sese super ceteros successibus extollit. Tunc considerandum est quocursu felicitas transvolet, cum ante humanos oculos quasi permanens pollet. Nam gloriam morituri nihil esse, in ipsa jam morte pensare infirmi quilibet possunt. Tunc enim ei etiam illi derogant, qui hanc & ulque ad mortem sequentes amant. Bene itaque dicitur: *[Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulcritudini ejus statim.]* Ac si aperte diceret: *Contra stulti pulcritudinem, moram in maledictione non habui: quia cum hanc cernerem, simul etiam penam sequentem vidi.* Non enim statim maledicerem, si qua me gloriæ illius delectatio tenuisset: sed sine tarditate maledixi, quia supplicia mansura conspiciens, ejus potentiam sine dubitatione reprobavi. Sed quia iniqui quique quò plus in hoc mundo proficiunt, plures secum ad interitum trahunt, rectè subditur: *[Longè siant filij ejus à salute.]* Filij quippe stulti sunt, qui in ambitione hujus sæculi ex ejus imitatione nascuntur: qui profectò tantò à salute longius fiunt, quanto in perpetratione nequitie nulla infirmitate feriuntur. De quibus bene additur:

Dies judicij porta regni.

CAPUT V.

E*T conterentur in porta, & non erit qui eripiat.* Nam sicut urbis aditus porta dicitur; ita est dies judicij porta regni: quia per eam ab electis omnibus ad cælestis patriæ gloriam intratur. Unde & hunc diem cum ad retributionem sanctæ Ecclesiæ Salomon appropinquare conspiceret, dixit: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terra.* Vir quippe est Ecclesiæ humani generis Redemptor, qui in portis se nobilem ostendit, qui despectus prius in contumeliis extitit, sed in ingressu regni sublimis apparebit. Qui cum terræ senatoribus residet: quia judicij sententiam cum sanctis ejusdem Ecclesiæ prædicatoribus decernet, sicut ipse in Evangelio dicit: *Vos qui securi estis me, Mai. 19. in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Quod Isaïas quoque longè antè prænnuncians ait: *Dominus ad jud. 1. Isai. 3. 6*

cum veniet cum senioribus populi sui. De his portis A
 Salomon iterum dicit: *Dare ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis operarum eius.* Tunc quippe sancta Ecclesia de fructu manuum suarum accipit, cum eam ad percipiendam caelestia laboris sui retributio attollit. Tunc eam sua opera in portis laudant, quando ejus membris in ipso regni aditu dicitur: *Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi potum: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me.* Filij igitur hujus stulti ante portam elati sunt, sed in porta conterentur: quia amatores hujus saeculi in praesenti vita superbiunt, sed in ipso regni aditu aeterna animadversione feriuntur. Bene autem subditur: [*Et non erit qui eripiat.*] Illos quippe veritas ab aeterna adversitate eripit, quos in temporalibus prosperis per disciplinam premit. Qui ergo nunc renuit premi, tunc non valet eripi: quia iniqui eum, quem per disciplinam negligunt habere patrem, afflictionis suae tempore per adiutorium non inveniunt ereptorem. Sequitur: [*Cujus messem famelicus comedit.*] Habet enim stultus messem, quando iniquus quique donum rectae intelligentiae accipit: Scripturae sacrae sententia docetur, bona loquitur, sed tamen nullo modo hoc quod dicit, operatur: verba Dei profert, nec tamen diligit: laudando exaggerat, vivendo calcat. Quia ergo stultus iste recta & intelligit & dicit, sed tamen haec operando non amat, messem habendo jejunit. Quam nimirum famelicus comedit, quia is qui ad Deum sanctis desiderijs anhelat, discit quod audit, agit quod didicerit: & dum doctoris pravi recta praedicatione reficitur, quid aliud quam stulti fruge saturatur? An non famelicos suos Veritas, ut stulti messem comederent, admonerat, cum per desideria sancta flagrantibus, de Pharisaicis praecipit, dicens: *Quae dicunt facite, juxta opera vero eorum nolite facere.* Ac si aperte diceret: Verbi messem loquendo excolunt, sed hanc male vivendo minimè contingunt. Vestram ergo famem messis ista reficiat: quia vobis hanc per fatuitatis suae fastidium servant. Bene autem subditur: [*Et ipsum rapiet armatus.*] Antiquus namque hostis quasi inermis vincitur, cum mala aperta fugerens humanae menti, bona omnia simul destrueret conatur. Sed armatus venit, quando bona alia D
 intracta deserens, latenter alia corrumpit. Nam saepe quosdam in intellectu non tentat, eisque in sacri eloquij meditatione non obviat; sed tamen eorum vitam in operatione supplantat, qui dum de scientiae virtute laudantur, nequaquam suorum operum damna respiciunt: cumque in favoris delectationem animus ducitur, vitae suae vulneribus non medetur. Hunc ergo armatus hostis rapuit, quem fraude reclusus, in alia deserens, ex alia parte superavit. Sequitur: [*Et bibent sitientes divitias eius.*] Saepe stultus quibus interni liquoris fontem, sed non bibit: quia ingenium quidem intelligentiae accipit, sed tamen veritatis sententias cognoscere legendo contemnit: scit quia intelligere studendo praevaleat, sed ab omni doctrinae studio * fastidians cessat. Divitiae quoque mentis, sunt verba sacrae locutionis: sed has divitias stultus oculis aspicit, & in ornamenti sui usum minimè assumit: quia verba legis audiens, magna quidem esse considerat, sed ad comprehendenda haec nullo studio amoris elaborat. At contra alius sitim habet, ingenium non habet: amor ergo hunc ad meditandum pertrahit, sensus hebetudo contradicit, & saepe hoc in divinae legis eruditione quandoque studendo intelligit, quod per negligentiam ingeniosus nescit. Hujus ergo stulti divitias sitientes bibunt, dum praepcepta Dei, quae ingeniosi fastidientes nesciunt, hebetes amantes assequuntur. In his nimirum tenebras he-

betudinis illustrat oculus amoris: nam hoc tardioribus sitis aperit, quod velocioribus fastidium claudit. Qui & idcirco ad intelligentiae alta perveniunt, quia agere quae intellexerunt, vel minima nulla contemunt; & dum sensum manibus adjuvant, sese ultra altitudinem ingenioforum levant. Unde bene per Salomonem dicitur: *Stellio manibus nititur, & moratur in adibus regis.* Plerumque enim aves, quas ad volatum penna sublevar, in vepribus resident: & stellio, qui ad volatum pennas non habet, nitens manibus, regis aedificium tenet: quia nimirum saepe ingeniosi quique dum per negligentiam torpent, in pravis actionibus remanent, & simplices, quos ingenij penna non adjuvat, ad obtinenda aeterni regni moenia virtus operationis elevat. Stellio ergo dum manibus nititur, in regis adibus moratur: quia illud simplex per intentionem recti operis pervenit, quod ingeniosus minimè ascendit. Sed his auditis, quaestio nostro cordi suboritur: cur vel negligentia intelligentiae donum tribuatur, vel studiosus quisque sensus sui tarditate praepediatur? Ad quam citius respondetur, dum protinus subditur: [*Nihil in terra sine causa fit.*] Idcirco enim saepe & desidiosus ingenium accipit, ut ingeniosus de negligentia justus puniatur: quia quod sine labore assequi potuit, scire contemnit. Et idcirco nonnumquam studiosus tarditate intelligentiae premitur: ut eò majora praemia retributionis inveniatur; quò magis in studio inventionis elaborat. Nihil ergo in terra est sine causa, Quando & studioso tarditas ad praemium proficit, & desidiosus velocitas ad supplicium crescit. Ad intelligenda autem quae recta sunt, aliquando laboris studio, aliquando vero dolore percussione erudimur. Unde cum dictum sit: [*Nihil in terra sine causa fit.*] aptè protinus additur.

Quod non ex elementis hujus mundi, sed ex nobis est causa, per quam merito flagellamur.

CAPUT VI.

ET de humo non egreditur dolor. Dolor namque quasi de humo egreditur, cum homo ad Dei imaginem conditus de rebus insensibilibus flagellatur. Sed quia per occulta merita mentium, aperta prodeunt flagella poenarum, de humo dolor non egreditur, quoniam sensus nostri malitia exigit, ut à rebus insensibilibus feriat. Ecce enim cernimus, quòd ad correptionem nostram; expectatus imber arente terra suspenditur, & caliginosus aer inardescente sole siccat, mare procellis tumescens sedit, & alios ad transmeandum susceptos intercipit, aliis desideratum iter erecta in cumulum unda interdicit, terra non solum germina fecunditatis imminuit, sed etiam semina accepta consumit. In quibus nimirum cunctis patenter aspicitur hoc, quod quidam sapiens de Domino testatur, dicens: *Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Orbis quippe terrarum cum Domino contra insensatos pugnat, quando in poena delinquentium & elementorum adversitas militat. Sed tamen de humo dolor non egreditur: quia res quaelibet insensibilis ad afflictionem nostram stimulo nostrae actionis excitatur. De humo dolor non egreditur: quia nequaquam poena de ea nascitur creatura, quae percutit; sed de ea proculdubio, quae peccando vim percussione extorsit. Sed curandum magno pere est, ut cum in rebus exterioribus pondere doloris afficimur, spe ad superna tendamus; quatenus eò mens ad alta perveniat, quò nos exterior poena castigat. Unde & aptè subjungitur:

Quod amatores huius mundi & in hoc saculo & in futuro laboribus deputati sunt; serui vero Dei hinc mente avolantes, sub se habent omnia quae contemnuunt.

CAPUT VII.

HAd laborem quippe nascitur homo, quia nimirum is qui accepta est praeditus ratione, considerat quod valde sibi sit impossibile, ut haec peregrinationis suae tempora sine gemitu evadat. Unde bene Paulus cum tribulationes suas discipulis enumeraret, adjunxit: *Ipsi enim scitis, quod in hoc posui sumus.* Sed in eo quod caro flagellis afficitur, mens ad appetenda altiora sublevatur; Paulo rursus attestante, qui ait: *Et licet is qui foris est nosfer homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem.* Homo ergo ad laborem nascitur, & avis ad volatum: quia inde mens ad summa evolat, unde caro in infimis durius laborat. Potest quoque appellatione hominis, carnalium vita signari. Unde & Paulus ait: *Cum enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis?* Quibus pauld post subjecit, dicens: *Nonne homines estis?* In hac itaque vita homo ad laborem nascitur: quia carnalis quisque cum transeuntia appetit, desideriorum suorum se pondere affligit. Gravis quippe labor est, hanc ipsam praesentis vitae gloriam quaerere, quaesitam quandoque percipere, & perceptam cum omni circumspicione custodire. Gravis labor est, hoc cum magna fatigatione apprehendere, quod is qui apprehendit, noverit diu stare non posse. Sancti autem viri quia transeuntia non amant, non solum nulla temporalium desideriorum pondera tolerant, sed & si qua adversa consurgunt, in ipsis suis pressuris & languoribus non laborant. Quid enim flagellis durius? & tamen de flagellatis Apostolis scriptum est: *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Quid ergo eorum mentibus labor est, quibus & poena verberum labor non est? Homo ergo ad laborem nascitur: quia ille huius mundi veraciter mala sentit, qui ejus bona inhiante appetit. Nam cujus mens ad alta suspenditur, sub ipsa est quidquid exterius contra ipsam movetur. Bene itaque subditur: *[Et avis ad volatum.]* Quia tantd animus a laboris afflictione se subtrahit, quantd per spem ad summa sustollit. An non quasi avis, Paulus ad volatum natus fuerat, qui tor adversa sustinens dicebat: *Nostri autem conversatio in caelis est?* Et rursus: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod edificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, aeternam in caelis.* Velut avis ergo ima transcendere, quem adhuc corpore in terra demorantem, jam in sublimibus spei penna sublevabat. Sed quia nullus suis viribus valet sese in alta sustollere, ut cum a visibilibus affligitur, in invisibilia sublevetur; recte mox subditur: *[Quamobrem ego deprecabor Dominum, & ad Deum ponam eloquium meum.]* Ac si aperte diceret: *Illum rogo, per quem haec tibi scio.* Si enim hoc per se habere se crederet, deprecari Dominum non indigeret. Sequitur: *[Qui facit magna & inscrutabilia & mirabilia absque numero.]* Quis omnipotentis Dei mirabilia perscrutari sufficiat, quod cuncta ex nihilo creavit, quod ipsa mundi fabrica mira potentiae virtute disposita est, & super aera caelum suspenditur, & super abyssum terra libratur: quod ex rebus invisibilibus ac visibilibus omnis haec universitas existit, quod hominem fecerit, ut ita dixerim, in brevi colligens mundum alterum, sed rationalem: quod hunc ex anima & carne constituens, investigabili virtutis dispositione permiscuit spiritum & lutum? Ex his

A itaque aliud novimus, aliud & sumus: sed tamen mirari negligimus, quia ea quae incomprehensibili indagacione mira sunt, humanis oculis usu viluerunt. Unde fit, ut si mortuus homo suscitetur, in admirationem omnes exiliant, & quotidie homo qui non erat, nascitur, & nemo miratur: cum proculdubio omnibus constet, quia plus sit creati quod non erat, quam reparari quod erat. Quia arida Aaron virga floruit, cuncti mirati sunt; & quotidie ex arente terra arbor producitur, virtusque pulveris in lignum vertitur, & nemo miratur. Quia quinque panibus quinque millia hominum saturati sunt, crevisse efecit sub dentibus cuncti mirati sunt: quotidie sparsa grana seminum, plenitudine multiplicantur spicarum, & nemo miratur. B Aquam semel in vinum permutatam videntes cuncti mirati sunt: quotidie humor terrae in radicem vitis attractus, per botrum in vinum vertitur, & nemo miratur. Mira itaque sunt omnia quae mirari homines negligunt, qui ad considerandum, ut praediximus, usu torpescunt. Bene autem cum diceret: *[Qui facit magna,]* adjunxit statim: *[Et inscrutabilia.]* Minus enim fuerat magna facere, si tamen ea quae facta sunt, perscrutari potuissent. Recte autem subditur:

Quod divina miracula considerari quidem debent per studium, nec tamen discuti per intellectum.

CAPUT VIII.

ET mirabilia absque numero.] quia minoris esset magnitudinis, si quae inscrutabilia condidit, pauca fuissent. Sed inter haec sciendum est, quia divina miracula & semper debent considerari per studium, & numquam discuti per intellectum. Saepem namque humanus sensus dum quarumdam rerum rationem quaerens non invenit, in dubitationis se voraginem mergit. Unde fit, ut nonnulli homines mortuorum corpora in pulvere redacta considerent, dumque resurrectionis vim colligere ex ratione non possunt, haec ad statum pristinum redire posse desperent. Mira igitur, quae ex fide credenda sunt, perscrutanda per rationem non sunt, quia si haec nostris oculis ratio expanderet, mira non essent. Sed cum in his fortasse animus titubet, necesse est ut ea quae per usum novit, nec tamen per rationem colligit, ad memoriam reducat; quatenus rei similis argumento fidem roboret, quam labefactari sua sagacitate deprehendit. Considerato quippe humanae carnis pulvere, quorumdam membris concussa desperat, quando pulvis ad carnem redeat, & redivivum corpus per membrorum lineamenta componat: quando illa terrae ariditas per viventia membra viridescat, ac se per eorum species formaeque distinguat. Hoc nimirum per rationem comprehendere non potest: sed tamen credi per exemplum facile potest. Quis enim ab uno grano seminis, immensam surgere arborem crederet, nisi certum hoc per experimentum teneret? In tanta namque unius grani parvitate, & pene nulla sui dissimilitudine, ubi latet ligni duritia, & ligno tenerior medulla, asperitas corticis, viriditas radicis, sapor fructuum, suavitas odorum, diversitas colorum, mollities foliorum: & tamen quia hoc per experimentum novimus, ex uno grano seminis prodire omnia non dubitamus. Quid ergo est difficile, ut pulvis in membra redeat, dum conditoris potentiam quotidie cernimus, qui & ex grano ligna mirabiliter, & adhuc mirabilius fructus ex lignis creat? Dicat ergo: *[Qui facit magna & inscrutabilia, & mirabilia absque numero.]* quia divinum operum magnitudo nec ex qualitate valet discuti, nec ex quantitate numerari. Unde & adhuc subditur: *[Qui dat pluviam super faciem terra, &*

irrigat aquis uniuersa. *Qui ponit humiles in sublimi. A* Et quia laborem boni operis gloria sequitur retributionis, post aquarum irrigationem recte subjungitur:

Quod hi qui pro amore Dei modo se contemnunt, sublimis cum Deo iudices venient.

CAPUT X.

Qui ponit humiles in sublimi, & merentes erigit sospitate.] In sublimi humiles ponuntur: quia hi qui nunc pro Dei amore despecti sunt, tunc cum Deo iudices veniunt, sicut hoc quod paulò ante diximus, eisdem humilibus Veritas pollicetur, dicens: *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum Mat. 19. federit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis & vos super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel.* Tunc merentes Dominus sospitate erigit, quia hi qui ejus desiderijs accensi, propeera fugiunt, aduersa patiuntur, cruciatus persequentium tolerant, seque ipsos per lamenta castigant, tantò sublimiorem tunc sospitatem recipiunt, tantò nunc cunctis mundi gaudijs deuotè moriuntur. Hinc est enim quod per Salomonem dicitur: *Cor quod nouit amaritudinem anime suae, in Provi. gaudio ejus non miscebitur extraneus.* Humana etenim mens anime suae amaritudinem scit, cum aeternae patriae desiderijs accensa, peregrinationis suae poenam flendo cognoscit: sed in ejus gaudio extraneus non miscebitur, quia qui nunc à merore compunctionis alienus est, tunc particeps ad lætitiã consolationis non est. Hinc est quòd in Evangelio Veritas dicit: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia uestra uertetur in gaudium.* Et rursum: *Vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo auferet à uobis.* Sospitate ergo Dominus merentes erigere dicitur, quia pro se afflictos temporaliter, uera salute consolatur. Quod tamen de electis Dei etiam in hac uita nil obstat intelligi. In sublimi quippe humiles ponuntur, quia cum se ex humilitate subternunt, altæ mentis iudicio cuncta temporalia transeunt: cumque se indignos in omnibus æstiment, rectæ cogitationis examine hujus mundi gloriam transcendentes calcant. Videamus humilem Paulum. Ecce discipulis dicit: *Non enim nosmetipsos prædicauimus, sed Iesum Christum dominum nostrum, nos autem seruos uestrorum per Christum.* Videamus hunc humilem in sublimi iam positum dicentem: *An 1. Cor. 6. nescitis, quia angelos iudicabimus?* Et rursum: *Conuersi sunt & confedere nos fecit in caelestibus. Fortasse hunc exterius tunc catena religabat, mente tamen in sublimibus positus fuerat, qui jam per spei suae certitudinem in caelestibus sedebat. Sancti itaque uiri foris despecti sunt, & uelut indigni omnia tolerant: sed dignos se supernis sedibus confidentes, aeternitatis gloriam cum certitudine expectant: cumque laborant foris aduersitate persecutionis, ad mutam recurrunt intrinsecus arcem mentis; & inde cuncta sub se ire despiciunt, inter quæ transire corporaliter etiam semetipsos cernunt, minas non metuunt; quia & tormenta patiendò contemnunt. Hinc enim per Salomonem dicitur: *Insuper quasi leo confidens absque terrore erit.* Hinc ab eo scriptum est iterum: *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit.* Quia enim recti quique in alto intentionis suae uertice siti sunt, dum mortem moriendo non sentiunt, miro modo eos reprobatorum jacula & feriunt, & non contingunt. In sublimi ergo humiles sunt positi, quia unde se in omnibus despiciunt, inde contra omnia secutiores fiunt.*

irrigat aquis uniuersa. *Qui ponit humiles in sublimi. A* Et quia laborem boni operis gloria sequitur retributionis, post aquarum irrigationem recte subjungitur:

Quod hi qui pro amore Dei modo se contemnunt, sublimis cum Deo iudices venient.

CAPUT X.

Qui ponit humiles in sublimi, & merentes erigit sospitate.] In sublimi humiles ponuntur: quia hi qui nunc pro Dei amore despecti sunt, tunc cum Deo iudices veniunt, sicut hoc quod paulò ante diximus, eisdem humilibus Veritas pollicetur, dicens: *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum Mat. 19. federit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis & vos super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel.* Tunc merentes Dominus sospitate erigit, quia hi qui ejus desiderijs accensi, propeera fugiunt, aduersa patiuntur, cruciatus persequentium tolerant, seque ipsos per lamenta castigant, tantò sublimiorem tunc sospitatem recipiunt, tantò nunc cunctis mundi gaudijs deuotè moriuntur. Hinc est enim quod per Salomonem dicitur: *Cor quod nouit amaritudinem anime suae, in Provi. gaudio ejus non miscebitur extraneus.* Humana etenim mens anime suae amaritudinem scit, cum aeternae patriae desiderijs accensa, peregrinationis suae poenam flendo cognoscit: sed in ejus gaudio extraneus non miscebitur, quia qui nunc à merore compunctionis alienus est, tunc particeps ad lætitiã consolationis non est. Hinc est quòd in Evangelio Veritas dicit: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia uestra uertetur in gaudium.* Et rursum: *Vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo auferet à uobis.* Sospitate ergo Dominus merentes erigere dicitur, quia pro se afflictos temporaliter, uera salute consolatur. Quod tamen de electis Dei etiam in hac uita nil obstat intelligi. In sublimi quippe humiles ponuntur, quia cum se ex humilitate subternunt, altæ mentis iudicio cuncta temporalia transeunt: cumque se indignos in omnibus æstiment, rectæ cogitationis examine hujus mundi gloriam transcendentes calcant. Videamus humilem Paulum. Ecce discipulis dicit: *Non enim nosmetipsos prædicauimus, sed Iesum Christum dominum nostrum, nos autem seruos uestrorum per Christum.* Videamus hunc humilem in sublimi iam positum dicentem: *An 1. Cor. 6. nescitis, quia angelos iudicabimus?* Et rursum: *Conuersi sunt & confedere nos fecit in caelestibus. Fortasse hunc exterius tunc catena religabat, mente tamen in sublimibus positus fuerat, qui jam per spei suae certitudinem in caelestibus sedebat. Sancti itaque uiri foris despecti sunt, & uelut indigni omnia tolerant: sed dignos se supernis sedibus confidentes, aeternitatis gloriam cum certitudine expectant: cumque laborant foris aduersitate persecutionis, ad mutam recurrunt intrinsecus arcem mentis; & inde cuncta sub se ire despiciunt, inter quæ transire corporaliter etiam semetipsos cernunt, minas non metuunt; quia & tormenta patiendò contemnunt. Hinc enim per Salomonem dicitur: *Insuper quasi leo confidens absque terrore erit.* Hinc ab eo scriptum est iterum: *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit.* Quia enim recti quique in alto intentionis suae uertice siti sunt, dum mortem moriendo non sentiunt, miro modo eos reprobatorum jacula & feriunt, & non contingunt. In sublimi ergo humiles sunt positi, quia unde se in omnibus despiciunt, inde contra omnia secutiores fiunt.*

Quod iuxta morum diuersitatem, vim sui sermonis format Deus in singulis.

CAPUT IX.

POSSUNT autem uniuersorum nomine, ipse morum dissimilitudines designari. Alius namque elatione erigitur, alius pondere timoris inclinatur, alius libidine æstuat, alius avaritia anhelat, alius remissione se dejicit, alius ira fervefeit. Sed per doctrinam sacri eloquij, dum superbo humilitas tribuitur, timido confidentia præbetur, luxuriosus per castitatis studium ab immunditia tergitur, avarus per continentiam ab ambitionis æstu temperatur, remissus zeli rectitudine erigitur, iracundus à præcipitationis suae excitatione refrænatur, uniuersa Deus aquis irrigat: quia vim sui sermonis in singulis iuxta morum diuersitatem format, ut hoc in ejus eloquio quisque inueniat, per quod uirtutis necessariae germen ferat. Unde per quemdam sapientem de mannae dulcedine dicitur: *Paratum panem de celo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem; atque omnis saporis suauitatem.* Manna quippe omne delectamentum atque omnis saporis suauitatem in se habuit, quòd uide licet in ore spiritalium iuxta uoluntatem edentium, saporem dedit: quia diuinus sermo & omnibus congruens, & à semetipso non discrepans, qualitati audientium condescendit, quem dum electus quisque utiliter iuxta modum suum intelligit, quasi acceptum manna in uoluntarium saporem uertit.

Quid sit quod scriptum est in Isaia: Descende, sede in pulvere virgo filia Babylonis.

CAPUT XI.

Quo contra rectē sub Babylonis specie per Prophetam menti reprobræ dicitur: *Descende, sede in pulvere virgo filia Babylonis, sede in terra: non est solum filia Chaldaeorum.* Hoc enim loco humana mens virgo non incorrupta, ut arbitror dicitur, sed infecunda. Et quia Babylon confusio interpretatur, rectē infecunda mens Babylonis filia vocatur, quæ in eo quod nequaquam bona opera germinat, dum nullo ordine rectæ vitæ componitur, quasi confusione matre generatur. Sin autem virgo non infecunda dicitur, sed incorrupta, postquam statum salutis perdidit, ad confusionis suæ cumulum appellatur quod fuit. Cui apte per increpationem dicitur divina voce: *Descende.* In alto quippe humanus animus stat, quando supernis retributionibus inhiat: sed ab hoc statu descendit, cum turpiter victus sese defluentibus mundi desiderijs subjicit. Cui bene mox additur: *Sede in pulvere.* Descendens enim in pulvere residet, quia caelestia deserens, terrenis cogitationibus aspersus in infimis vilescit. Ubi adhuc ingeminando subjungitur: *Sede in terra.* Ac si apte exprobrans dicat: Quia caelesti conversatione noluisti te erigere, sub temetipso prostratus in terrenis actibus humiliare. Unde & necessariò protinus additur: *Non est solum filia Chaldaeorum.* Chaldaei namque feroces interpretantur. Valde autem feroces sunt, qui voluntates proprias sequentes, nec suis parcere mortibus sciunt. Ferocia sunt terrena desideria, quæ non solum contra præcepta conditoris, sed sæpe etiam contra percussionum verbera, duram atque insensibilem mentem reddunt. Sed filia ferocium solum non habet, quia mens, quæ ad amorem mundi ex pravis desiderijs nascitur, atque eidem desiderijs obduratur, in eo quod se terrenis concupiscentijs subjicit, sedem iudicij amittit: nulleque apud se folio præsidet, quia examine discretionis caret, & quasi à iudicij sui sessione repellitur, quia per exteriores concupiscentias vagatur. Liquet enim, quod mens, quæ intus consilij sedem perdidit, foras se per desideria innumerabiliter spargit. Et quia agere intellecta dissimulat, cæcatur recte, ut etiam nesciat quod agat: & sæpe iusto iudicio in sua voluntate relinquitur, & sub ea quæ anxie appetit laboriosa mundi ministeria relaxatur. Unde apte illic subditur: *Quia ultra non vocaberis mollis & tenera: tolle molam, & mole farinam.* Constat nimirum, quod teneræ suæ filiae parentes parcunt, nec duris atque servilibus hanc operibus affligunt. Omnipotens ergo Deus quasi teneram filiam vocat, quando dilectam uniuscujusque animam à laboriosis hujus mundi servitijs revocat; ne dum exterioribus actionibus afficitur, ab internis desiderijs obduretur. Sed Chaldaeorum filia mollis & tenera non vocatur; quia mens pravis desiderijs dedita, in eo quod anxie appetit hujus sæculi labore relinquitur, ut foris mundo velut ancilla serviat, quæ intus Deum ut filia nequaquam amat. Unde & molam tollere, ac farinam molere jubetur. Mola in gyrum ducitur, & farina profertur. Unaquæque autem mundi hujus actio mola est, quæ dum multas curas congerit, humanas mentes quasi per gyrum vertit: atque ex se quasi farinam projicit, quia seducto corde, semper minutissimas cogitationes gignit. Nonnumquam verò qui quietus alicujus esse meriti creditur, positus in qualibet actione denudatur, unde illic protinus subinfertur: *Denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina.* In administratione quippe operis turpitudine denudatur, dum vilis mens abjectaque in actionis ostentatione cognoscitur, quæ quæta prius magna puta-

A batur. Humerum mens discooperit, quando opus suum quod ignorabatur, ostendit. Crura revelat, quia quibus desideriorum passibus, lucris mundi inhiat, manifestat. Flumina etiam transit, quia actiones hujus sæculi, quæ quotidie ad terminum defluunt, indefinenter appetit; dumque alias relinquunt, alias assequitur, quasi de flumine semper ad flumen tendit. Hæc paucis per excessum diximus, ut mens à folio sanctæ intentionis excussa, quod jaceat, monstrarem: quia si ad ea quæ super ipsam sunt, inhiare cessaverit, sub temetipsam etiam indefinenter ruit. In alto autem figitur, si amorem temporalium deserens, ad spem incommutabilis æternitatis ligatur. Bene ergo dicitur: [*Qui ponit humiles in sibi.*] Atque apte subjungitur: [*Et merentes erigit sospitare.*] Sæpe in hoc mundo etiam læti quilibet erecti sunt, dum de ipsa gloria suæ prosperitatis intumescunt. Sed merentes Dominus sospitare erigit: quia afflictos suos ad gloriam veræ lætitiæ soliditate sustollit. Sospitare quippe, non insaniam erecti sunt, qui in bonis actibus positi, spe in Deum firma gratulantur. Nonnulli enim, sicut diximus, & iniquitates perpetrant, & gaudere non cessant: de quibus per Salomonem dicitur: *Quis letantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* Et rursum: *Sunt impij qui ita sunt securi, 2. c. ac si iustorum facta habeant.* Hi nimirum non sospitate eriguntur, sed insaniam: quia superbe cum affligi debuerant; & inde miseri in exultatione defluunt, unde à bonis stentur, phreneticorum videntur licet sensibus similes, qui insaniam qua prævalent, virtutem putant; qui ex morbo esse nesciunt, hoc quod amplius sanis possunt: & quasi crevisse se viribus æstimant, dum ad vitæ terminum per augmenta languoris appropinquant: qui quia rationis sensum non habent, stentur & rident, & tantò se in magna exultatione dilatant, quantò & insensibiles malum quod patiuntur, ignorant. Sospitare ergo Dominus merentes erigit: quia electorum mens non de præsentis vitæ insaniam, sed de certitudine æternæ salutis hilarescit. Unde apte mox de hac ipsa pravorum destructione subjungitur: [*Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod coperant.*] Reproborum mentes perveris cogitationibus semper invigilant, sed plerumque eis superna dispositio obviat: & quamvis **D** pravitatem consilij nec fracti adversitatibus corrigant, tamen ne contra bonos prævaleant, eorum vires refrænât. Quos contra miro iudicio agit, ut effectu quidem pravi operis careant, & tamen justæ sententiæ iudicis reos conscientia addicat. Quod ergo mala cogitant, quid ipsi faciant ostendunt: quod verò mala implere nequeunt, hi contra quos cogitaverant, defenduntur. Unde & adhuc bene subditur:

Quod humana consilia in eo quod Dei consilio nituntur resistere, obsequuntur: ut de fratribus Ioseph legitur, & de Saul, & de Iona, & de Iudæis Christi nomen extirpare volentibus.

CAPUT XII.

Qui comprehendit sapientes in astutia eorum, & consilia pravorum dissipat. Sæpe enim nonnulli humanam sapientiã inflati, dum desiderijs suis divina iudicia contraire conspiciunt, astutis eis reluctari machinationibus conantur: & quod ad votum suum vim supernæ dispositionis in torqueant, callidissimas cogitationibus insunt, subtiliora consilia exquirunt: sed inde voluntatem Dei peragunt, unde hanc imitari contendunt; atque omnipotentis Dei consilio dum resistere nituntur, obsequuntur: quia sæpe & hoc ejus dispositioni apte militat: quod ei per humanum studium frivole resultat. Sapientes ergo Dominus in ipsa eorum astutia comprehendit, quando

quando ejus consilii humana facta etiam tunc congruè serviunt, cum resistunt. Quod melius ostendimus, si pauca ad medium gestarum rerum exempla proferamus. Joseph somnium viderat, quòd suo manipulo fratrum ejus manipuli se prosternerant: somnium viderat, quòd sol & luna se cum reliquis stellis adorabant. Quæ quia purè fratribus retulit, eorum corda protinus futuræ dominationis invidia pavorque percussit. Cumque hunc ad se venire conspicerent, malitia fervente dixerunt: *Ecce somniator venit ille. venite occidamus eum, & videamus quid illi prodervint somnia sua.* Cumque se ejus dominio subijci metuunt, somniatorem in puteum deponunt, eumque Israhelitis transeuntibus vendunt: qui in Ægyptum ductus, servituti subditus, luxuriæ accusatione damnatus, castitatis merito adjectus, prophetiæ judicio ereptus, omni Ægypto prælatus est: per supernam verò sapientiam providus frumenta congescit, & futuro periculo necessitatis obviavit. Cumque in orbem famis irruit, de alimentorum præparatione sollicitus Jacob, filios suos in Ægyptum misit: qui frumentorum dispensationi præpositum Joseph nescientes inveniunt, atque ut mererentur alimenta percipere, eorum dispensatorem compulsus sunt pronis in terram cervicibus adorare. Pensemus ergo gestæ rei ordinem, pensemus quomodo sapiens in ipsa sua astutia vis divina comprehendat. Ideo ab eis venditus fuerat Joseph, ne adoraretur; sed ideo est adoratus, quia venditus. Astute namque aliquid agere ausi sunt, ut Dei consilium mutaretur; sed divino judicio, quod declinare conati sunt, renitendo servierunt. Inde quippe coacti sunt Dei voluntatem peragere, unde hanc moliti sunt astute commutare. Sic divinum consilium dum devitatur, impletur: sic humana sapientia dum reluctatur, comprehenditur. Timuerunt fratres ne Joseph super eos excreceret: sed hoc quod divinitus dispositum fuerat, cavendo factum est ut eveniret. Humana ergo sapientia in seipsa comprehensa est, quæ voluntati Dei, unde per intentionem restitit, inde ejus impletioni militavit. Sic Saül dum David subiectum quotidiano succrescere virtutum successu conspiceret, suam ei in conjugium filiam spondit, atque in ejus dorem centum dari ab eo Philistinorum præputia petiit, ut cum provocatus miles ultra se excrecere quaereret, inimicorum gladiis traditus vitam finiret, sicut scriptum est: *Non habet rex necesse sponsalia, nisi tantum centum præputia Philistinorum, ut fiat ultio de inimicis regis.* Porro Saül cogitabat tradere David in manus Philistinorum: sed David dispositionis intimæ favore roboratus, centum se dare perhibuit, & ducenta præputia reportavit. Cujus nimirum operis Saül argumento superatus, supernâ providentiâ in sapientia suâ est consilio comprehensus; quia unde succrescentis militis vitam se extinguere credidit, virtutis ejus gloriam inde cumulavit. Sed quia nonnumquam astute se aliquid sapere etiam electi moliantur, liber ad medium alium sapientem deducere, & quomodo in internis consiliis astutia mortaliū comprehendatur, demonstrare. Prudenter quippe Jonas sapere voluit, cum ad prædicandam Ninivitarum penitentiam missus, quia electis Gentibus Judæam deserere timuit, prædicationis officium implere recusavit. Navim petiit, fugere Tharsis elegit: sed protinus tempestas exoritur, fors miteitur, ut videlicet cognoscatur cujus culpâ mare turbetur. Jonas in culpa deprehenditur, in profundum mergitur, ceto forbente devoratur, atque illuc gestante bellua pervenit, quòd ire sponte contempit. Ecce fugitivum Dei tempestas invenit, fors ligat, mare suscipit, bellua includit, & quia auctori suo obedire renititur, ad locum, quo missus fuerat, suo reus carcere portatur. Jubente Deo ministrare homo prophetiam

S. Greg. Tom. I.

A noluit, aspirante Deo bellua Prophetam vomuit. Comprehendit ergo Dominus sapientes in astutia eorum, quando & hoc in usum suæ voluntatis redigit, per quod sibi voluntas humana contradicit. Periclitemur adhuc Hebræorum sapientiam, ut videamus quid providendo prohibuit, aut quid prohibendo provocavit. Certè cum ad Redemptoris nostri miracula credentium turba conflueret, cum sacerdotes populi, invidia facibus accensi, mundum post eum ire cernerent, ut proclamarent dicentes: *Videris quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abiit: ut ab illo vim tantæ concursionis abscederent, finire ejus potentiam morte conati sunt, dicentes: Expedi ut unus homo moriatur, & non tota gens pereat.* Sed Redemptoris mors ad conjunctionem sui corporis, id est Ecclesiæ, valuit, non ad separationem. Unde per legem turturi vel columbæ, in figura nostri sacrificij, levari guttur præcipitur, & non penitus abscidi, ut & post mortem corpori caput inhæreat: quia videlicet mediator Dei & hominum, id est, caput omnium nostrum, & veræ mundationis hostia, unde pro nobis mortem pertulit, inde nobis verius inhæret. Post sectionem ergo caput turturis suo corpori inhæret, quia Christum ab Ecclesiâ nec mors interveniens dividit. Persecutores igitur peregerunt hoc quod perniciosè moliti sunt, intulerunt mortem, ut ab eo abscederent fidelium devotionem: sed inde fides crevit, unde hanc se extinguere infidelium crudelitas credidit. Cumque se æstimant ejus miracula persequendo abscondere, hæc nimirum compulsi sunt nesciendo dilatare. Comprehendit ergo Dominus sapientes in astutia eorum, quando & hoc ad pietatis suæ obsequium redigit, quod contra illum humana erudelitas exarsit. Justus namque & misericors mortalium acta disponens, alia concedit propitius, alia permittit iratus, atque ea quæ permittit, sic tolerat, ut hæc in sui consilij usum vertat. Unde miro modo fit, ut & quod sine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non sit: quia dum in bonum usum malefacta vertuntur, ejus consilio militat etiam quæ ejus consilio repugnant. Hinc enim per Psalmistam dicitur: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Sic quippe ejus opera magna sunt, ut per omne quòd ab hominibus agitur, ejus voluntas exquiratur. Nam sæpe inde perficitur, unde repellitur putabatur. Hæc rursum dicitur: *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit in celo & in terra.* Hinc Salomon ait: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Restat ergo, ut in cunctis quæ agimus, vim superne voluntatis inquiramus, cui videlicet cognita, debet nostra actio devotè famulari, & quasi ducem sui itineris prosequi, ne ei etiam nolens serviat, si hanc superbiens declinat. Vitari enim vis superni consilij nequaquam potest: sed magna sibi virtute hanc temperat, qui se sub ejus nutibus refrænit: ejusque sibi pondera levigat, qui hanc subiecto cordis humero volens portat. Sed quia persecutorum superius memoriam fecimus, qualiter etiam ea quæ subjuncta sunt, eorum cæcitati congruant, ostendamus.

E Sequitur:

Quod exemplo Loth, contra viam iusti accusationis aditum non inveniunt peccatores.

CAPUT XIII.

Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte, sic palpabunt in meridie.] Per diem tenebras incurrent, quia in ipsa veritatis presentia perfidia errore cæcati sunt. Clarè quippe per diem cernitur, per noctem verò nostra actus obscuratur. Persecutores igitur Redemptoris nostri dum divinæ virtutis miracula cernerent, & tamen de ejus divinitate dubitarent, in die tenebras passi sunt, quia visum in luce perdiderunt. Hinc est quòd eos ipsa lux admonet: dicens: *Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ*

M

comprehendant. Hinc est quod de Judæa dicitur: *Occidit ei sol, cum adhuc esset dies.* Hinc est quod vocem penitentium in se Propheta iterum sumpsit, dicens: *Impeginus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.* Hinc iterum dicit: *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte? Dixit custos: Venit mane & nox.* De nocte etenim custos venit, quia humani generis protector & manifestus in carne apparuit, & tamen hunc pressa perfidia suæ tenebris Judæa minimè cognovit. Ubi bene ex voce custodis additur: *Venit mane & nox;* quia per ejus præsentiam & nova lux mundo inclaruit, & tamen in corde infidelium vetusta cæcitas remansit. Bene autem dicitur: [*Quasi in nocte, sic palpabunt in meridie*] Hoc quippe palpando exquirimus, quod oculis non videmus. Judæi autem aperta ejus miracula viderant, & adhuc eum quasi palpantes quærebant, cum dicerent: *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Ecce miraculorum lux ante oculos aderat, & tamen in cordis sui tenebras offendentes, adhuc requirendo palpabant. Quorum nimirum cæcitas ad crudelitatem, crudelitas etiam usque ad aperta opera persecutionis exarsit. Sed Redemptor humani generis, persecutorum suorum manibus diu teneri non potuit. Unde & protinus subditur: [*Porro saluum faciet e genum de gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.*] Ipse quippe iste pauper est, de quo per Paulum dicitur: *Propter nos e genus factus est, cum dives esset.* Et quia Judæi accusando Dominum tradiderunt, quem traditum Gentiles * crucifixerunt; potest per oris gladium, ciderit; accusantium Judæorum lingua signari, de quibus per Psalmistam dicitur: *Filij hominum, dentes eorum arma & sagitta, & lingua eorum machæra acuta:* quia Evangelio etiam teste clamaverunt: *Crucifige, crucifige eum.* Per violenti verò manum, ipsa crucifigens gentilitas exprimi potest, quæ in Redemptoris morte Hebræorum voces opere implevit. Deus itaque hunc pauperem & de violenti manu, & de oris gladio saluum fecit; quia videlicet Redemptor noster & vires Gentilium, & linguas Hebræorum moriendo ex humanitate pertulit, sed ex divinitatis suæ potentia resurgendo superavit: quia videlicet resurrectionis, infirmitas nostra roboretur? Unde & bene mox subditur: [*Et erit e geno spes.*] Erepto quippe paupere, e genus ad spem reducit; quia humilis fidelium populus Redemptore moriente, pavore concutitur, sed resurgente solidatur. Ipsos namque primos hujus populi pauperes, electos videlicet prædicatores, vita ejus mors percussit, sed resurrectio ostensa reparavit. Salvato ergo paupere, spes e genus recipit: quia resurgente in carne Domino, fidelis quisque ad æternæ vitæ fiduciam convalescit. Sed ecce jam in manifesta ostensione veritas venit, jam carnis mortem pertulit, eamque resurgendo destruxit, jam resurrectionem gloria ascensionis honoravit: & tamen Hebræorum lingua adhuc eum contumeliis lacessere non desinit, quos nimirum equanimiter tolerat, ut alios tolerando convertat, atque alios minimè conversos quandoque districtius feriat. Tunc enim lingua infidelium ab effrenatione vanæ suæ loquacitatis obmutescet, cum venire eum justum judicem viderit, quem nunc injustè judicavit. Unde & bene subditur: [*Iniquitas autem contrahet os suum.*] Os enim suum nunc adhuc iniquitas dilatat, quia humani generis Redemptorem lingua infidelium contumeliis lacessere nequaquam cessat. Sed tunc os contrahet, cum hoc quod non vult per studium, per supplicium claudet. Quod tamen bene accipi etiam de conversis persecutoribus potest. Salvato enim paupere, dum egenus ad spem redit, contracto ore iniquitas obmutescit: quia resurrectionis ejus clarescente miraculo, dum copiosa multitudo infidelium credit, à Redemptoris sui

A injuriis contumeliisque cessavit. Os enim suum, quod Deum deridendo aperuit, jam formidando contraxit. Libet hæc moraliter, postposita Judæorum significatione, transcurrere, atque à pravis generaliter quomodo agantur indagare. Iniquorum quippe hominum mentes cum quadam à proximis bene gesta conspiciunt, in extenso livoris sui equileo torquentur, & gravem malitiæ suæ pœnam sustinent, cum bona in aliis tabescentes vident. Rectè itaque dicitur: [*Per diem incurrent tenebras.*] Quia mens eorum cum de aliena melioratione affligitur, de radio lucis obscuratur: quia sæpe in proximis dum bona aperta considerant, si quia mala lateant investigant, & sollicitis inquisitionibus laborant, si quid fortè quod accusare possint, inveniunt. Sana B quidem membra conspiciunt, sed clausis cordis oculis vulnus palpantes quærent. Unde & bene subditur: [*Et quasi in nocte, sic palpabunt in meridie.*] Dies boni operis in proximo exteriùs lucet, sed quasi in nocte palpant, quia livoris sui intus tenebras tolerant. Pervenire ad aliqua, quæ reprehendant, fatagunt, detractionis aditum quærent: sed quia hunc invenire non valent, cæci exteriùs circumvent. Quod bene exprimitur, cum Loth, protegentibus Angelis, in domo ejus Sodomitæ ostium non invenerunt, sicut scriptum est: *Vinque faciebant Loth vehementissimè, & jam proximum erat ut frangerent fores, & miserunt manum viri, & introduxerunt ad se Loth, clauseruntque ostium, & eos qui erant foris, percusserunt cæcitate à minimo usque ad maximum. ita ut ostium invenire non possent.* Quid est quod malis adversantibus, intra domum Loth reducitur & munitur, nisi quod justus quisque dum pravorum infidias sustinet, ad mentem revertitur, & imperterritus manet: Sodomitæ autem viri in domo Loth ostium invenire nequeunt: quia corruptores mentium contra vitam justi nullam accusationem aditum deprehendunt. Percussi enim cæcitate quasi domum circumvent, quia invidentes facta dictaque perscrutantur. Sed quia eis de vita justi fortis undique ac laudabilis actio obvia, errantes nihil aliud quam pariter palpant. Bene ergo dicitur: [*Quasi in nocte, sic palpabunt in meridie.*] quia dum bonum quod vident, accusare nequeunt, cæcari malitiã, malum quod non vident, ad accusationem quærent. Unde rectè subjungitur: [*Porro saluum faciet e genum de gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.*] Pauper quippe est, quisquis apud semetipsum elatus non est. Unde & per Evangelium Veritas dicit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum.* Duobus autem modis ad culpam uniusquisque pertrahitur. Aut enim delectatione ducitur, aut terrore superatur. Gladius namque oris est iniquitas persuasionis: manus autem violenti, est adversitas potestatis. Sed quia veraciter humilis, qui hoc loco pauper vocatur, quod nulla hujus mundi prospera appetit, eò audenter equum adversa contemnit, rectè dicitur: [*Saluum faciet e genum de gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.*] Ac si aperte diceretur: Sic in se Deus mentes humilium solidat, ut eas ad perpetranda nequitiam nec blandimenta suasionum pertrahant, nec dolores suppliciorum frangant. Spes quippe in æternitatem animum erigit, & idcirco nulla mala exteriùs, quæ tolerat, sentit. Unde & subditur: [*Et erit e geno spes.*] Ad cuius spei videlicet fructum cum pauper pervenerit, omnis elatus obmutescit. Unde & adhuc subditur: [*Iniquitas autem contrahet os suum.*] Nunc enim mali bonis derogant, & recta quæ agere negligunt, hæc in aliis obtrectando lacerare non cessant. Sed tunc iniquitas os suum contrahit, cum justis quanta suppetat gloria retributionis agnoscit. Tunc enim ei loqui contra bonos non vacat, quia malorum suorum digna retributione linguam tormenta ligant. Unde bene, Anna prophetante dicitur;

12. Reg. *Pedes sanctorum suorum servabit, & impij in tenebris conticescent.* Sed ut electus quisque aeterna supplicia evadat, & ad perennem gloriam pauper ascendat, debet hic assiduis flagellis atteri, quatenus in iudicio valeat purgatus inveniri. Ipso namque infirmitatis nostrae pondere deorsum quotidie ducimur, nisi mira manu artificis per subvenientia flagella releveretur. Unde & subditur: [*Beatus homo, qui corripitur a Domino.*] Prima virtus est, ne perpetrari debeant, sed vitari peccata: secunda autem saltem perpetrata corrigere. Sed plerumque culpas non solum imminentes minimè vitamus, verum etiam nec commissas agnoscimus. Et peccatoris mens tantò altius tenebrefcit, quantò nec damnnum suae cæcitatibus intelligit. Unde fit plerumque divini muneris largitate, ut culpam pœna subsequatur, & flagella oculis delinquentis aperiant, quos inter vitia securitas cæcabat. Totpens quippe animus percussione tangitur, ut excitetur: quatenus qui statum suae rectitudinis securus perdidit, afflictus consideret quòd jacet. Hinc itaque ipsa asperitas correptionis, origo fit luminis. Unde & per Paulum dicitur: *Omne quod arguitur, à lumine manifestatur.* argumentum enim salutis est vis doloris. Hinc est enim, quòd Salomon ait: *Curatio cessare faciet peccata maxima.* Hinc iterum dicit: *Quem enim Dominus diligit, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Hinc voce angelica Dominus ad Joannem loquitur, dicens: *Ego quos amo, redarguo & castigo.* Hinc Paulus ait: *Omnis autem disciplina in presenti quidem non videtur esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit iustitia.* Quamvis ergo convenire simul nequeant dolor & beatitudo, rectè tamen nunc dicitur: [*Beatus homo, qui corripitur a Domino.*] quia per hoc, quòd peccator dolore correptionis premitur, quandoque ad beatitudinem, quæ sine interventu doloris est, eruditur. Sequitur:

Quibus modis vulnerat Deus, quos ad salutem reducere curat.

CAPUT XIV.

In crepationem ergo Domini ne reprobes. Quisquis pro culpa percutitur, sed in querela suae percussiois elevatur, increpationem Domini reprobatur: quia hanc injustè se perpeti accusat. Qui autem non pro purgatione criminis, sed pro fortitudinis probatione feriuntur, cum causas suae percussiois inquirunt, nequaquam increpationem Domini reprobare dicendi sunt: quia in semetipsis castigando fatagunt invenire quod nesciunt. Unde & beatus Job ad libertatis verba inter percussiois verbera erumpens, tantò * de se rectius iudicia ferientis interrogat, quantò in semetipso verius causas * persecutionis ignorat. Eliphaz itaque, quia hunc percussum non probationis examine, sed purgationis æstimavit, dum liberè inter flagella loqueretur, reprobasse Dei increpationem credidit. Quem etiam aptè hereticorum tenere speciem diximus, qui omne quod à sancta Ecclesia rectè agitur, apud iudicium suum semper ad vitium tortitudinis inflent. Quia verò bona intentione ad loquendum ducitur, sed non curat discernere cui loquatur, adhuc supernae dispensationis moderamina prædicando subjungit, dicens: [*Quia ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt.*] Duobus modis omnipotens Deus vulnerat, quos reducere ad salutem curat. Aliquando enim carnem percutit, & mentis duritiam suo pavore tabefacit. Vulnerando ergo ad salutem revocat, cum electos suos affligit exterius, ut interioribus vivant. Unde per Moysen quoque loquitur, dicens: *Ego occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & ego sanabo.* Occidit enim ut vivificet, percutit ut sanet: quia idcirco foris verberat.

S. Greg. Tom. I.

ra admovet, ut intus vulnera delictorum curet. Aliquando autem etiam si flagella exterius cessare videantur, intus vulnera infligit: quia mentis nostrae duritiam suo desiderio percutit, sed percutiendo sanat: quia terroris sui jaculo transfixos, ad sensum nos rectitudinis revocat. Corda enim nostra male sana sunt, cum nullo Dei amore fauciantur, cum peregrinationis suae ærumnam non sentiunt, cum erga infirmitatem proximi nec quàmlibet minimo affectu languescunt. Sed vulnerantur ut sanentur, quia amoris sui spiculis mentes Deus insensibiles percutit, moxque eas sensibiles per ardorem charitatis reddit. Unde & sponsa in Canticis canticorum dicit: *Vulnerata charitate ego sum.* Male enim sana anima, atque in hujus exilij statu cæca securitate prostrata, nec videbat Deum, nec videre requirebat: percussa autem charitatis ejus spiculis, vulneratur in intimis affectu pietatis, ardet desiderio contemplationis, & miro modo vivificatur ex vulnere, quæ prius mortua jacebat in salute; æstuat, anhelat, & jam videre desiderat quem fugiebat. Percussione ergo ad salutem reducit, quæ ad securitatem quietis intrinsecæ, amoris sui perturbatione revocatur. Sed cum sauciata mens anhelare in Deum cœperit, cum cuncta mundi hujus blandimenta despiciens, ad supernam patriam per desiderium tendit, ad tentationem ei protinus vertitur, quidquid amicum prius in sæculo blandumque putabatur. Nam qui peccantem amare consueverant, rectè viventem crudeliter impugnant. Et erectus in Deum animus, carnis suae bella tolerat, in qua prius vitiis serviens, delectabiliter jacebat: voluptates priscae ad memoriam redeunt, & contradicentem mentem gravi certamine affligunt. Sed quia dum transitorio labore atterimur, à perpetuo dolore liberamur, aptè subjungitur:

Quid in presenti vita electos suos non permittit Deus tentari supra id quod possunt, donec hujus vite septimana completa, nulla eos deinceps tentatio tangat.

CAPUT XV.

In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum. Quid enim senario numero, quem septimus sequitur, nisi presentis vite operatio decursusque signatur? Sexto quippe die omnia perficiens, hominem condidit, & septimo die Deus requievit; qui scilicet septimus vesperam non habet, quia subsequenter requie nullus jam terminus claudit. Perfectis ergo omnibus requies sequitur, quia post bona vite presentis opera, retributio aeternae quietis invenitur. In sex itaque nos tribulationibus Dominus liberat, ne pos in septima malum tangat: quia per paternae pietatis eruditionem presentis vite labore nos atterit, sed in adventu iudicis à verberibus abscondit; ut tantò tunc ad salutem certiores exhibeat, quantò nunc nos flagella durius secant. Qui aptè mox & mala vite presentis, & adiutoria supernae protectionis enumerans subdit: [*In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij.*] Sicut fames carnis, est subtractum subsidium corporis; ita & fames mentis, est silentium divinae locutionis. Unde rectè per Prophetam dicitur: *Emittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquae, sed famem audiendi verbum Domini.* Et quia humanam mentem cum divina allocutio deserit, contra eam carnis tentatio invalescit, aptè subjungitur: [*Et in bello de manu gladij.*] Bellum quippe patimur, cum carnis nostrae tentationibus impugnamur: de quo nimirum bello per Psalmistam dicitur: *Obumbrasti super caput meum in die belli.* Quia igitur reprobi dum fame verbi Dei deficiunt, etiam belli gladio transfiguntur; electos suos Dominus & in fame à morte eripit, & in bello à

M ij

gladio abscondit: quia eorum mentes dum verbi sui pabulo reficit, contra tentationes corporis fortes reddit. Sed sunt nonnulli, qui etsi ex divino eloquio ab interna se fame reficiunt, si jam contra tentationes corporis, continentiae virtute fulciuntur; adhuc tamen percuti humanis detractionibus metunt, & saepe dum linguarum jacula formidant, peccati se laqueo strangulant. Unde & aptè subditur. [*A flagello linguae abscondèris.*] Flagellum linguae est exprobratio illatae contumeliae. Flagello linguae bonos feriunt, qui eorum opera irridendo persequuntur. Saepe enim lingua à bono opere, dum vituperat, revocat, & quasi flagellum se exerit, quia dorsum timidae mentis cedit. Hoc flagellum linguae, electorum mentibus insidiari Propheta conspexerat, cum supernum adiutorium pollicens dicebat: *Ipse liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.* Venantes enim nihil aliud quam carnem quaerunt. Sed à venantium laqueo, atque ab aspero verbo eripimur, quando & insidias carnalium, & irrisumum probra despiciendo superamus. Aspera quippe eorum verba sunt, quae bonis nostris itineribus adversantur. Sed asperitatem verbi evadere, est irrisiones detrahentium dissimulando calcarè. Sancta ergo anima à flagello linguae absconditur: quia dum in hoc mundo honorem laudis non quaerit, nec contumelias detractionis sentit. Sed sunt nonnulli, qui jam derogantium verba despiciunt, jam irrisiones pro nihilo attendunt; adhuc tamen poenas corporis cruciatuque pertimescunt. Antiquus namque adversarius ut à recta intentione nos retrahat, multiformiter impugnat, & tentationem nostram modò verbi fame, modò carnis certamine, modò flagello sermonis, modò calamitate persecutionis aggreditur. Sed quia perfectus quisque cum in semetipso vitia vicerit, statim mentem etiam contra vulnera passionis accingit, aptè subjungitur: [*Et non timebis calamitatem, cum veneris.*] Sancti enim viri quia contra multiformem adversarium se pugnare considerant, semetipsos in certamine multipliciter parant. Habent enim contra famem, divini verbi pabulum: contra belli gladium, continentiae scutum: contra flagellum linguae, protectionem patientiae: contra exterioris calamitatis damnum, interni amoris adiutorium. Unde miro modo agitur, ut quò eos hostis callidus numerosius tentat, eò circumspècti Dei milites virtutibus ditiores fiant. Et quia electi quique dum praesentis vitae certamina fortiter tolerant, in terrore sibi venturi iudicii securitatem parant, rectè subjungitur:

Quòd damnatis nulla humanitate compariuntur electi, & sic solidi erunt, ut ultra nec timore nec dolore ullo affici possint.

CAPUT XVI.

20. *IN vastitate & fame ridebis.* Tunc quippe reprobi vastitatem famemque passuri sunt, cum damnati in extremo iudicio ab aeterni panis visione ^{1. Pet. 25.} separantur. Scriptum namque est: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Et per semetipsum Dominus ^{Joan. 6.} dicit: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.* Simul ergo eos vastitas fameque cruciat, qui non solum foris tormenta sentiunt, sed intus etiam inedia peste moriuntur. Vastat igitur gehenna, quia concremat: fames interficit, quia suam illis faciem Redemptor abscondit. Bene namque retributionem interius exteriusque recipiunt: quia & cogitando miseri & operando deliquerunt. Unde bene ^{1. Pet. 20.} per Psalmistam dicitur: *Pones eos ut clibanum in ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.* Quod enim ab igne devoratur, ab exteriori parte accenditur: clibanus verò interius inflammatur. In tempore ergo

A vultus Domini iniusti omnes ut clibanus ponuntur, & ab igne devorantur; quia apparente iudice, cum à visione illius eorum multitudo repellitur, & intus per desiderium ardet conscientia, & foris carnem cruciat gehenna. Potest etiam flagellum linguae, sententia ultimae animadversionis intelligi, qua districtus iudex reprobis dicit: *Discedite à me, maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Justus ergo à flagello linguae atque à calamitate veniente absconditur, quia in tanta districtione sententiae, blanda tunc iudicis voce refovetur cum dicitur: *Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.* Quibus praemittitur: *Venite benedicti Patris mei, possidetè paratum vobis regnum à constitutione mundi.* In vastitate ergo & fame iustus ridebit: quia cum iniquos omnes extrema ultio percutit, ipse de gloria dignè retributionis hilarescit. Nec damnatis jam tunc ex humanitate compatitur, quia divinae iustitiae per speciem inhaerens, inconcussò districtiois intimae vigore solidatur. Erectas namque in claritate supernae rectitudinis electorum mentes nulla misericordia afficit, quia has à miseriis altitudo beatitudinis alienas reddit. Unde bene per Psalmistam dicitur: *Videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent: Ecce homo, qui non possidet Deum adiutorem suum.* Iniquos enim iusti nunc vident & metuunt, tunc visuri sunt & ridebunt. Quia enim modò ad eorum labi imitationem possunt, hic habent formidinem. Quia verò damnatis tunc prodesse nequeunt, illic non habent compassionem. Aeterno itaque supplicio deditis non esse miserendum, in ipsa qua beati sunt, iustitia iudicantis legunt: qui, quod suspicari fas non est, qualitatem sibi perceptae felicitatis imminuunt, si in regno positi volunt quod implere nequaquam possunt. Sed quisquis ad vitae praecipua se dirigit, priusquam praemia aeterna percipiat, hic jam initia securitatis in perpetuum securitatis degulstat, ut antiquum hostem non metuat, & interveniente mortis articulo, violentos ejus impetus nullatenus perhorrescat. Iustus namque initium retributionis, est ipsa plerumque in obitu securitas mentis. Unde & rectè subjungitur: [*Et bestiam terra non formidabis.*] Callidus quippe adversarius bestia terra dicitur, quia ad rapiendas mortis tempore peccatorum animas violentiam crudelitatis efferatur. Quos enim viventes blandiens decipit, morientes saeviens rapit. Quo contrà de electorum Ecclesia per Prophetam Dominus pollicetur, dicens: *Mala bestia non transibit per eam.* Illi igitur terrae bestiam inorientes timent, qui conditoris sui potentiam timentes non timent. Sancti etenim viri quia divinae se formidini medullitus subdunt, omne in adventu adversarii pondus timoris abjiciunt. Hinc est enim quòd Psalmista Dominum exorat, dicens: *Ne quando rapiat ut leo animam meam.* Hinc rursus ait: *Exaudi Deus orationem meam cum deprecor, à timore inimici eripe animam meam.* Viventes quippe perfectè timent iudicem, ne morientes metuunt accusatorem. Bene ergo dicitur: [*Et bestiam terrae non formidabis.*] Ac si apertè diceretur: Quia à blandiente modò hoste non vinceris, hunc saevientem postmodum non timebis. Sed cum bene vivitur, valde cavendum est, ne mens despectis ceteris, de gloria singularitatis eleveatur. Unde aptè ad memoriam bonum sociale reducit, cum protinus subinfertur: [*Sed cum lapidibus regionum pactum tuum.*] Quasi distinctae in mundo regiones sunt Ecclesiae gentium, quae in una fide posita, morum linguarumque diversitate dividuntur. Quid ergo per regionum lapides, nisi Ecclesiarum electos accipimus? quibus primi instructoris voce dicitur: Vos

3. Pet. 2. *autem tanquam lapides vivi superedificamini.* De A
 quibus sancta Ecclesia Dominus per Prophetam
 pollicetur dicens: *Ecce ego sternam per ordinem
 lapides tuos.* Qui igitur recte vivit, pacto se cum
 lapidibus regionum jungit: quia in eo quod mundi
 desideria superat, vitam suam proculdubio ad
 sanctorum præcedentium imitationem ligat. Sed
 cum à mundi * dilectione disjungitur, malignorum
 spirituum impugnationes crescunt: quæ tamen
 quò magis in morere quemquam atterunt, eò con-
 ditori humilius subdunt. Unde & subjungitur:
 [*Et bestia terre pacifica erunt tibi*] Notandum prius
 est, quòd non ait, Pacata, sed, Pacifica: videlicet,
 non quia pacem habent, sed quia pacem faciunt.
 Hostes quippe callidi dum insidiantur, affligunt:
 sed afflicta mens tantò magis ad æternam patriam B
 reditum * diligit, quantò in hoc ærumnoso exilio
 laboriosius vivit: & verius se gratiæ sui adiutoris
 humiliat, cum contra se insidias hostium aciores
 pensat. Terræ ergo bestia electis pacifica sunt,
 quia maligni spiritus, cum bonorum corda adver-
 santes deprimunt, hæc nolentes ad amorem Domi-
 ni impellunt. Inde ergo cum Deo robustior pax
 oritur, unde nobis ab adversariis durior pugna ge-
 neratur. Possunt etiam per terræ bestias, motus
 carnis intelligi, qui dum mentem nostram irratio-
 nabilia suadendo lacesunt, contra nos bestialiter
 insurgunt. Sed cum cor sub divina lege deprimi-
 tur, etiam carnis incentiva detumescunt: ut etsi
 tentando submurmurant, nequaquam tamen usque
 ad effectum operum, quasi ad aperti morsus rabi-
 em exurgant. Quis enim adhuc in hac corruptibi-
 li carne subsistens, has terræ bestias plenè edo-
 mat, cum ille ad tertium cælum raptus egregius præ-
 dicator dicat: *Video aliam legem in membris meis
 repugnantem legi mentis meæ, & captivum me
 ducentem in lege peccati, que est in membris meis:* Sed
 aliud est has bestias in campo operis fervientes aspi-
 cere, aliud intra cordis caveam frementes tenere.
 Redactæ namque intra claustra continentia, etsi
 adhuc tentando rugiunt, usque ad morsum tamen,
 ut diximus actionis illicitæ non excedunt. Pacificæ
 itaque sunt terræ bestia, quia motus carnis etsi per
 desideria palpitant, aperta nos tamen contradic-
 tione operis non impugnant. Quamvis per hoc ipsum,
 quòd pacificæ dicuntur, etiam id quòd de malignis D
 spiritibus diximus, non inconvenienter accipitur.
 Motus etenim carnis pacem nobis cum Deo faciunt,
 cum tentando contradicunt. Nam iusti mens in eo
 quòd ad superna dirigitur, ex corruptibili carne
 gravibello fatigatur. Que si quando à desiderijs
 caelestibus, hujus mundi qualibet minima delecta-
 tione tardatur, ipso bello sua tentationis impelli-
 tur, ut illud toto corde diligit, quòd contradictio
 nulla perturbat. Unde fit, ut quietem intimam ad
 memoriam revocet, & carnis suæ illecebras fu-
 giens, ad illam pleno amore suspiret. Considerare
 enim ex tentatione unusquisque compellitur, unde
 vel ex quo cecidit, qui postquam Dei pacem dese-
 ruit, rixam sibi contra se exurgere ex semetipso sen-
 tit, & tunc verius videt de securâ Dei dilectione E
 quid perdidit: quia ad se dilapsus, suam in se contu-
 meliam invenit. Pacem ergo nobis terræ bestia fa-
 ciunt, quia motus carnis, dum nos tentando laces-
 sunt, ad amorem quietis intimæ impellunt. Bene
 autem subditur: [*Et scies quòd pacem habeat taber-
 naculum tuum.*] In Scriptura facta aliter pax plena
 dicitur, atque aliter inchoata. Inchoatam quippe
 pacem Veritas discipulis dederat, cum dicebat:
 10. 14. d. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et ple-
 nam Symeon desideraverat, cum exoraret dicens:
 Luc. 2. c. *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum ver-
 bum tuum in pace.* Pax enim nostra ex desiderio
 conditoris inchoatur, ex manifesta autem visione
 perficitur. Plena quippe tunc erit, cum mens nos

stra nec ignorantia cæcatur, nec carnis suæ impu-
 gnatione concutitur. Sed quia ejus exordia tangi-
 mus, cum vel mentem Deo, vel carnem menti sub-
 jugamus, tabernaculum iusti habere pacem dicitur:
 quia videlicet ejus corpus, quò mens inhabitat, à
 perversis desideriorum motibus prius inquietarum,
 nanc sub justitiæ dispositione refranatur. Sed quid
 prodest per continentiam, carnem restringere, si
 mens se per compassionem nesciat in proximi amo-
 re dilatare? Nulla namque est castitas carnis, quam
 non commendat suavitas mentis. Unde post pa-
 cem tabernaculi aptè subjungitur. [*Et visitans spe-
 ciem tuam non peccabis.*] Species quippe hominis
 est alter homo. Rectè enim species nostra dicitur
 proximus noster, quia in illo cernimus quid ipsi fu-
 mus. Corporali enim visitatione ad proximum gres-
 suum accessu venimus; spiritali verò, non gressu, sed
 affectu ducimur. Speciem ergo suam visitat, quis-
 quis ad eum, quem sibi similem per naturam con-
 spicit, passibus amoris tendit: ut in altero sua con-
 siderans, ex seipso colligat, qualiter infirmitati alte-
 rius condescendat. Speciem suam visitat, qui ut in
 se alterum reficiat, se in altero pensat. Hinc nam-
 que per Moysen Veritas cum gesta describeret, ge-
 renda signabat, dicens: *Protulit terra herbam vi- Gen 1. 8
 rentem & asserentem semen juxta genus suum, li-
 gnumque faciens fructum, & habens unumquodque
 semen secundum speciem suam.* Lignum quippe se-
 cundum speciem suam semen producit, cum mens
 nostra ex sui consideratione se in alterum colligit,
 & recti operis germen parit. Hinc quidam sapiens
 dicit: *Quòd tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Hinc
 in Evangelio Dominus dicit: *Quæ vultis ut faciant
 vobis homines, & vos eadem facite illis.* Ac si aperte
 diceret: Speciem vestram in altero visitate, atque
 ex vobismetipsis agnoscite, quid vos oporteat aliis
 exhibere. Hinc Paulus ait: *Factus sum Judæis tan- 1. Cor. 9.
 quam Judæus, ut Iudæos lucrarem: & his qui sub le-
 ge sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub le-
 ge, ut eos qui sub lege erant, lucrificarem: & his
 qui sine lege sunt, quasi sine lege essem, cum sine lege
 Dei non essem, sed in lege essem Christi.* Et paulò post:
Omnibus omnia factus sum, ut omnes salvos facerem. Ibid. c.
 Neque enim egregius prædicator, ut quasi Judæus
 fieret, ad perfidiam erupit: neque ut quasi sub le-
 ge esset, ad carnale sacrificium rediit: neque ut
 omnibus omnia fieret, simplicitatem mentis in er-
 roris varietatem commutavit: sed condescenden-
 do appropinquavit infidelibus, non cadendo: ut
 videlicet singulos in se suscipiens, & se in singulos
 transfigurans, compatiendo colligeret, si ita ipse, ut
 illi, esset, quid impendi sibi ab aliis rectè voluisset:
 & tantò verius unicuique erranti concurreret,
 quantò salutis ejus modum ex propria consideratio-
 ne didicisset. Bene ergo dicitur: [*Et visitans spe-
 ciem tuam non peccabis:*] quia tunc peccatum plenè
 vincitur, cum ex sua similitudine unusquisque
 perpendit, quomodo in proximi dilectione dilate-
 tur. Cum verò à vitis caro restringitur, cum mens
 virtutibus exercetur, restat ut loquendo quisque
 doceat vitam alios, quam moribus servat. Ille nam-
 que uberes fructus prædicationis colligit, qui se-
 mina bonæ operationis præmittit. Unde post pa-
 cem tabernaculi, & speciei nostræ visitationem, re-
 ctè subjungitur: [*Et scies quoniam multiplex eris
 semen vivum, & progenies tua sicut herba terre.*]
 Post pacem quippe tabernaculi, post speciei nostræ
 visitationem, semen iusti multiplex surgit: quia ni-
 mirum post membrorum macerationem, ac mo-
 rum magnitudinem, tantò ei secundi prædica-
 tionis verbum tribuitur, quantò hoc in ejus pecto-
 re perfecti operis exaratione prævenitur. Ille nam-
 que bene loquendi facundiam accipit, qui sinum
 cordis ad perfectè vivendi studia extendit. Nec
 conscientia loquentem præpedit, cum vita linguam
 M iij

Gen. 47 antecedit. Hinc est quod Ægyptij seruitio publico Joseph dispensante, cum subjecti juri regis semper ipsos tradentes humiliant, frumenta etiam ad fermen reportant. Frugem quippe ad esum etiam liberi accipimus, cum ex sacro eloquio pascimur, & tamen ad quædam, quæ in hoc mundo appetimus, in nostris voluptatibus vacamus. Sed servi facti, & ad fermen frumenta percipimus: quia dum plenè Deo subdimur, etiam verbo prædicationis replemur. Et quoniam magna proles fidelium sequitur, cum sancta prædicatione prærogatur; post multiplicatam seminis rectè subjungitur: [*Et progenies tua sicut herba terræ.*] Justi progenies herbæ terræ comparatur: quia qui de ejus imitatione nascitur, dum arentem vitæ præsentis gloriam deserit, spe interna viridescit. Vel certè justi progenies sicut herba oritur, quia dum vivendo monstrat, quod prædicando asserit, multitudo sequentium innumerabilis exurgit. Sed quisquis jam terrena desideria despiciat, quisquis se per activæ vitæ opera extendit, nequaquam ei sufficit magna exterius agere, nisi etiam per contemplationem valeat interna penetrare. Unde & aptè protinus subinfertur:

Quid est quod Abraham conjugem mortuam in sepulcro duplici sepelit: & quid sit quod per Moysen cum hyssopo lignoque cedrino vacca mactari præcipitur.

CAPUT XVII.

In grediens in abundantia sepulcrum, sicut inferitur aceruus vitæ in tempore suo. Quid enim sepulcri nomine, nisi contemplativa vitæ signatur: quæ nos quasi ab hoc mundo mortuos sepelit, dum à terrenis desideriis susceptos in intimis abscondit? Ab exteriori quippe vitæ mortui etiam sepulti per contemplationem fuerant, quibus Paulus dicebat: *Mortui enim estis, & vitæ vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Activa quoque vitæ sepulcrum est, quia à pravis nos operibus mortuos tegit: sed contemplativa perfectius sepelit, quia à cunctis mundi actionibus funditus dividit. Quisquis ergo jam in se contumelias carnis edomuit, superest ut mentem per studia sanctæ operationis exerceat: & quisquis jam mentem per sancta opera dilatat, superest ut hanc usque ad secreta intimæ contemplationis studia extendat. Neque enim perfectus prædicator est, qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit. Hinc est enim quod Abraham conjugem mortuam in sepulcro duplici sepelit: quia nimirum perfectus quisque prædicator extinctam à præsentis vitæ desideriis animam suam, sub bonæ operationis tegmine & contemplationis abscondit; ut à carnali concupiscentia, sub activæ contemplativæque vitæ quasi insensibilis lateat, quæ prius mundi desideria sentiens, mortaliter vivebat. Hinc est quod humani generis Redemptor per diem miracula in urbibus exhibet, & ad orationis studium in monte pernoctat: ut perfectis videlicet prædicatoribus innuat, quatenus nec activam vitam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant: sed quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant. Speculando quippe in Dei amorem surgitur, sed prædicando ad proximi utilitatem reditur. Unde apud Moysen, dum in sacrificio vacca mactatur, offerri cum hyssopo lignoque cedrino bis tinctus coccus præcipitur. Vaccam quippe mactamus, cum carnem à lascivia suæ voluptatis extinguimus: quam cum hyssopo lignoque cedrino ac cocco offerimus, quia cum maceratione carnis, sacrificium fidei, spei & charitatis adolemus. Hyssopus quippe interna nostra

A mundare consuevit. Et per Petrum dicitur: *Fide mundans corda eorum.* Lignum cedrinum nulla putredine deficit: quia spem celestium terminus non confumit. Unde & per Petrum dicitur: *Regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem.* Coccus verò rubro colore flammescit: quia quem implet charitas, incendit. Unde & in Evangelio Veritas dicit: *Ignem veni mittere in terram.* Sed bis tinctus coccus offerri præcipitur: ut videlicet ante interni judicis oculos, charitas nostra Dei & proximi dilectione coloretur: quatenus conversa mens nec sic pro amore Dei quietem diligit, ut curam proximi, utilitatemque postponat: nec sic pro amore proximi occupationi interserviat, ut quietem funditus deferens, ignem in se superni amoris extinguat. Quisquis ergo semetipsum Deo jam sacrificium obtulit, si perfecta desiderat, curet necesse est, ut non solum ad operationis se latitudinem, verum etiam ad culmina contemplationis extendat. Sed inter hæc magnopere sciendum est, quia valde inter se differre sunt conspersiones animorum. Nonnulli namque hominum ita otiosæ mentis sunt, ut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant: & nonnulli ita inquieti sunt, ut si vacationem laboris habuerint, gravius laborent, quia tantò deterius cordis tumultus tolerant, quanto licentius ad cogitationes vacant. Unde necesse est, ut nec quietæ mens ad exercitationem se immeritati operis dilatat, nec inquietæ ad studium contemplationis angustet. Sæpe enim qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt: & sæpe qui occupati bene humanis usibus viverent, gladio suæ quietis extincti sunt. Hinc namque est, quod nonnulli inquieti spiritus, dum plus exquirunt contemplando, quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt: & dum veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri errorum fiunt. Hinc per semetipsum veritas dicit: *Si oculus tuus dexter scandalizati te, erue eum & projice abs te.* Bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Duæ quippe vitæ, activa videlicet & contemplativa, cum conservantur in mente, quasi duo oculi habentur in facie. Dexter namque oculus vita contemplativa est, sinister activa. Sed nonnulli, ut diximus, qui discretè intueri summa & spiritalia nequaquam possunt, & tamen alta contemplationis assumunt, atque idcirco in perfidia foveam, & intellectus prævi errore dilabuntur. Hos itaque contemplativa vita ultra vires assumptas, cogit à veritate cadere, quos in statu suæ rectitudinis humiliter poterat sola activa custodire. Quibus rectè hoc quod præfati sumus Veritas dicit: *Si oculus tuus dexter scandalizati te, erue eum & projice abs te.* Bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Ac si aperte diceret: Cum ad contemplativam vitam idonea discretionem non sufficis, solam securius activam tene. Cumque in hoc quod pro magno eligis, deficis, eo contentus esto, quod pro minimo attendis: ut si per contemplativam vitam à veritatis cognitione compelleris cadere, regnum cælorum pro solam activam valeas saltem luseus intrare. Hinc rursum dicit: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Quid per mare, nisi præsens sæculum; quid per molam asinariam, nisi actio terrena signatur? Quæ dum colla mentis per stulta desideria constringit, hanc in laboris circuitum mittit. Sunt itaque nonnulli, qui dum terrenas actiones deserunt, & ad contemplationis studia, humilitate postposita, ultra intelligentiæ vires surgunt, non solum se in er-

* al. in æterna.

* al. in 25.

Gen. 23, b

Num. 19

* al. in intellectu prævi erroris.

rorem deiciunt, sed infirmos quosque à gremio unitatis dividunt. Qui ergo unum de minimis scandalizat, melius illi fuerat, alligatà collo molà asinaria, in mare projici: quia nimirum perverse menti expeditius esse potuisset, ut occupata mundo terrena negotia ageret, quàm per contemplationis studia ad multorum perniciem vacaret. Rursum, nisi quibusdam mentibus contemplativa vita potius, quàm activa congrueret, nequaquam per Psalmistam Dominus diceret: *Vacate & videte, quia ego sum Deus.* Sed inter hæc sciendum est, quia sæpe & pigras mentes amor ad opus excitat, & inquietas in contemplatione timor refrænât. Anchora enim cordis, est pondus timoris; & plerumque fluctu cogitationum quatitur, sed per disciplinam suam vincula retinetur: neque hoc tempestas suæ inquietudinis ad naufragium pertrahit, quia in divini amoris littore perfecta charitas astringit. Unde necesse est, ut quisquis ad contemplationis studia properat, semetipsum prius subtiliter interroget, quantum amat. Machina quippe mentis, est vis amoris: quæ hanc dum à mundo extrahit, in alta sustollit. Prius ergo discutiat, si summa inquirens diligit, si diligens timet, si novit incognita aut amando comprehendere, aut non comprehensa timendo venerari. In contemplatione etenim mentem si amor non excitat, teporis sui torpor obscurat: si timor non aggravat, sensus hanc per inaniam ad nebulam erroris levat: & cum clausa ei secretorum janua tardius aperitur, ab ea longius ipsa sua præsumptione repellitur; quia irrumperè appetit hoc, quod non inveniens quærit: cumque superba mens errorem pro veritate percipit, quo quasi si intrus gressum porrigit, foras tendit. Hinc est enim quod legem daturus Dominus, in igne fumoque descendit: quia & humiles per claritatem suæ ostensionis illuminat, & superborum oculos per caliginem erroris obscurat. Prius igitur mens ab appetitu gloriæ temporalis, atque ab omni carnalis concupiscentiæ delectatione tergendâ est, & tunc ad arcem contemplationis erigenda. Unde & cum lex accipitur, populus à monte prohibetur: ut videlicet qui infirmis adhuc mentibus terrena desiderant, considerare sublimia non præsumant. Unde & rectè dicitur: *Si bestia tetigerit montem, lapidabitur.* Bestia enim montem tangit, cum mens irrationabilibus desideriiis subdita, ad contemplationis alta se erigit: sed lapidibus percutitur, quia summa non sustinens, ipsis superni ponderis ictibus necatur. Qui igitur calmen perfectionis apprehendere nituntur, cum contemplationis arcem tenere desiderant, prius se in campo operis per exercitium probent, ut sollicitè sciant si nulla jam mala proximis irrogant: si irrogata à proximis, æquanimiter portant: si objectis temporalibus bonis nequaquam mens lætitiâ solvitur: si subtractis non nimio mœrore læciatur: ac deinde perpendant, si cum ad semetipsos introitus redeunt, in eo quod spiritalia rimantur, nequaquam secum rerum temporalium umbras trahunt, vel fortasse tractas manu discretionis abigunt: si incircumscriptionis lumen videre cupientes, cunctas circumscriptionis suæ imagines deprimunt, & in eo quod super se contingere appetunt, vincunt quod sunt. Unde rectè nunc dicitur: *[In gradieris in abundantia sepulcrum.]* Vir quippe perfectus in abundantia sepulcrum ingreditur, quia prius activæ vitæ opera congregat, & postmodum carnis sensum, per contemplationem mortuum huic mundo, funditus occultat. Unde & aptè subditur: *[Sicut infertur acervus vitæ in tempore suo.]* Actionis namque tempus primum est, contemplationis extremum. Unde necesse est, ut perfectus quisque prius virtutibus mentem exerceat, atque hanc postmodum in horreum quietis condar. Hinc est enim, quod is, quem legio dæ-

monum Domino jubente dereliquit, ad Salvatoris sui pedes residet, verba doctrinæ percipit, & de regione sua simul discedere cum salutis auctore concupiscit: sed tamen ei ipsa, quæ salutem contulit, Veritas dicit: *Revertere primum in domum tuam, & narra quanta tibi fecerit Deus.* Cum enim quàmlibet parum de diuina cognitione percipimus, redire ad humana jam nolumus, & proximorum necessitatibus onerari recusamus; quietem contemplationis quærimus, nihilque aliud, nisi hoc quod sine labore reficit animum, amamus. Sed sanatos nos Veritas ad domum mittit, narrare quæ nobiscum acta sunt, præcipit: ut videlicet mens prius defudet in opere, & postmodum refici debeat per contemplationem.

Quid sit quod Jacob pro Rachel servivit, & Liam accepit.

CAPUT XVIII.

Hinc est quod Jacob pro Rachel servivit, & Liam accepit: eique dicitur: *Non est confusio in terra nostra, ut minores ante radam ad nuptias, quàm majores.* Rachel namque, * vilium principium: Lia autem laboriosa dicitur. Et quid per Rachelem, nisi contemplativa: quid per Liam, nisi activa vita designatur? In contemplatione quippe principium, quod Deus est, quæritur: in operatione autem sub gravi necessitatum falce laboratur. Unde & Rachel pulchra, sed sterilis: Lia autem lippa est, sed fecunda: quia nimirum mens cum contemplando otia appetit, plus videt, sed minus Deo filios generat: cum verò ad laborem prædicationis se dirigit: minus videt, sed amplius parit. Post Liæ ergo amplexus ad Rachelem Jacob pervenit: quia perfectus quisque ante activæ vitæ ad fecunditatem jungitur, & post contemplativæ ad requiem copulatur. Quia enim contemplativa vita minor quidem tempore, sed merito major est quàm activa, sacri Evangelij verbis ostenditur, in quo duæ mulieres diversâ egisse referuntur. Maria quippe Redemptoris nostri verba audiens, ad pedes illius residebat: Martha autem corporalibus ministeriis insitebat. Cumque contra Mariæ otium Martha quereretur, audivit: *Martha, Martha sollicita es, & turbas erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferretur ab ea.* Quid enim per Mariam, quæ verba Domini residens audiebat, nisi contemplativa vita exprimitur? Quid per Martham exterioribus obsequiis occupatam, nisi activa vita signatur? Sed Marthæ cura non reprehenditur, Mariæ verò etiam laudatur: quia magna sunt activæ vitæ merita, sed contemplativæ potiora. Unde nec auferri unquam Mariæ pars dicitur: quia activæ vitæ opera cum corpore transeunt, contemplativæ autem gaudia melius ex fine convalescunt. Quod bene ac breviter Ezechiel propheta exprimit, cum volantia animalia contemplatus ait: *Et similitudo manus hominis subter pennas eorum erat.* Quid enim per pennas animalium, nisi contemplationes possumus sentire Sanctorum, quibus ad summa transvolant, & terrena deferentes, sese in caelestibus librant: Quid per manus, nisi operationes accipimus? Quia cum in proximi amore se dilatant, bona quæ prævalent, etiam corporaliter administrant. Sed manus eorum sub pennis sunt, quia actionis suæ opera virtute contemplationis vincunt. Potest etiam per sepulcrum non solum in hac vita nostra contemplatio, sed quies æternæ & intimæ retributionis intelligi; in qua tantò verius quiescitur, quantò in nobis corruptionis vita perfectius necatur. In abundantia ergo sepulcrum ingreditur, qui post congesta vitæ præsentis opera, mutabilitatè suæ plenè mortuus, in secreto verilu-

minis occultatur. Unde & per Psalmistam dicitur: *Abſcondes eos in abdito vultus tui, à conturbatione hominum.* Quod bene etiam comparatio adjuncta commendat, cum subditur: [*Sicut inferitur acervus iritici in tempore suo.*] Frumentum quippe in segete à sole tangitur, quia in hac vita, humana anima respectu superni luminis illustratur: pluvias percipit, quia veritatis eloquio pinguescit: ventis concutitur, quia tentationibus exercetur: & secum crescentes paleas portat, quia nequiores contra se quotidie vitam peccantium tolerat: atque ad aream deductum triturationis pondere premitur, ut à palearum connexionē solvatur: quia mens nostra caelesti disciplinæ supposita, dum correctionis flagella percipit, à focietate carnalium mundiū recedit, & relictis paleis ad horreum ducitur, quia foris remanentibus reprobis, electa anima ad supernæ mansionis gaudia æterna sublevatur. Bene ergo dicitur: [*In gredieris in abundantia sepulcrum, sicut inferitur acervus iritici in tempore suo:*] quia dum post afflictionem justī pramīa patriæ caelestis inveniunt, quasi post pressuras ad horreum grana deferuntur: & in alieno quidem tempore percussiones sentiunt, sed in suo à percussione requiescunt. Electis quippe alienum tempus est vita præsens, unde & quibusdam adhuc infidelibus Veritas dicit: *Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum.* Et rursum: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Sepulcrum ergo in tempore suo sicut frumenti acervus ingreditur, quia ille æ-

ternam requiem percipit, qui prius hic, ut ab exultandis paleis liber sit, disciplinæ pressuras sentit. Eliphaz verò, quia & in locutionis suæ serie tabernaculum, lapides, bestias, semen, herbas, sepulcrumque nominavit, quod non hæc juxta litteram dixerit, ipse innuit, qui post cuncta illico subjungit: [*Eccc hoc, ut investigavimus, ita est.*] Liquec profectò, quod in his verbis nihil ab eo juxta superficiem dicitur, quia nimirum ante faciem non jacet, quod investigatur. Quid ergo hæc investigasse se indicat, nisi quia quod in verbis exterioribus interiora quaesierit, demonstrat? Sed post cuncta ad stultitiam jactantia pervenit, quia protinus subdit: [*Quid auditum, mente pertrita.*] Quantalibet doctrina mens polleat, gravis ejus impericia est, velle docere meliorem. Unde & ea quæ ab amicis rectè prolata sunt, ab interno arbitro non recta judicantur. In eo namque vim suæ rectitudinis amittunt, quod auditori non congruunt: quia & medicamina vires perdunt, cum sanis membris apponuntur. In omni ergo quod dicitur, necesse est ut causa, tempus, & persona pensetur, si verba sententiæ veritas roborat, si hanc tempus congruum postulet, si & veritatem sententiæ, & congruentiam temporis personæ qualitas non impugnet. Ille enim laudabiliter spicula emittit, qui prius hostem quem feriat, conspiciat. Malè namque arcus validi cornua subigit, qui sagittam fortiter dirigens, civem ferit.

S ANCTI GREGORII
MORALIS EXPOSITIONIS
IN BEATUM JOB
LIBER SEPTIMVS.

CAPUT PRIMUM.

QUORUMDAM mentes plus flagella, quam convicia cruciant: quorundam verò plus convicia, quam flagella castigant. Nam sæpe contra nos quibuslibet pœnis durius tormenta verborum sæviunt, cumque nos ad defensionem erigunt, in impatientiam sternunt. Unde beato Job ne deesse tentatio ulla potuisset, non solum hunc flagella desuper feriunt, sed graviora plagis amicorum colloquia affligunt: ut sancti viri anima hinc inde pulsata, ad motum iracundiæ & elationis erumperet, & quidquid mundè vixerat, per contumaciam superba locutionis inquinaret. Sed tactus plagis gratias retulit: lacessitus verbis recta respondit, & percussus innotescit, quam pro minimo salutem carnis habuerit. Loquens quoque indicat, quam sapiens tacebat. Sed quædam ejus verbis admixta sunt, quæ apud humana judicia patientiæ limitem transire videantur: quæ nos verè intelligimus, si superni

sententiam judicis in eorum examinatione pensamus. Ipse quippe beatus Job & prius contra adversarium prætulit, dicens: *Vidisti seruum meum Job, quod non sit similis ei super terram: vir simplex & rectus, ac timens Deum. & recedens à malo?* Ipse post probationem amicos ejus redarguit, dicens: *Non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Job.* Restat ergo, ut cum mens in beati Job sermonibus fluctuat, eorum pondus ex eisdem historiae initio ac fine pendatur. Ab æterno enim iudice nec casurus laudari potuit, nec lapsus præferri. Si igitur in ambiguitatis tempestate deprehensū, prima hujus historiae & postrema conspiciamus, navis cordis, considerationis suæ funibus, quasi à prora & puppi restringitur, ne in erroris laxa perducatur. Nullis ergo ignorantia nostra procellis obruimur, si tranquillū supernæ sententiæ littus tenemus. Ecce enim dicit, quod quaestione non modice lectoris animum moveat. Sed quis hoc non rectum dicere audeat, quod in Dei auribus rectum sonat?

Respondens autem Job dixit: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera: quasi arena maris hæc gravior appareret. Unde & verba mea dolore sunt plena: quia sagitta Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me. Numquid rugiet onager cum habuerit herbam, aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit? Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? Aut gustare aliquis potest, quod gustatum affert mortem?*

Quæ